QUÆSTIO MEDICA,

Cardinalitiis Disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum die Jovis decimo quarto Martii.

M. JOANNE ROBERT, Doctore Medico, Præside.

An optima quæ perspirationi aptissima sunt alimenta?

I.

ALIMENTORUM ope instauratur quod in animantium corporibus perenne fieri solet substantiæ viventis effluvium. Iis minimè indigeremus si nihil ex nostro decideret corpore: sed perpetuo fluxu exhalat aliquid; ideo hujus proportione cibi quantitas definienda. Qualitas multis æstimanda rebus. Vivendi ratio non omnibus una. Agricolis ac principibus viris non eadem. Regio, tempestas, ætas, consuetudo, cutis prætermodum adstricta laxave compages, magna in victu postulant discrimina. Plerique hominum gulæ magis obtemperantes, quàm de sanitate solliciti, ea minimè consulunt: idcircò alimenta, sine quibus homini moriendum est, eum non rarò enecant. Modò inopiâ contabescimus; modò frangimur copiâ; sæpissimè aut pravo, aut nullo delectu. Damnabilis exquiritur ferculorum luxuries, quæ, oculos recreando, nauseantem erigat stomachum. Miscentur assis elixa, simul conchylia turdis; neque satis ornata creditur mensa, quam omnium orbis partium non onerant animalia. Homo terrâ pascitur & mari; nescius sanè quàm noceant ipsi variæ res, stomachoque tumultum afferant. Tria hæc mala à ciborum varietate sobolescunt: nimis comeditur, minùs coquitur, imminuitur transpiratio: pleno ventriculo, vix transpiramus: minimè, illo diversis ingurgitato edulis. Ex eo fonte morborum omne genus scaturit. Simplicissimo corpori alendo simplicissima sunt consona. Cibus simplex & facilis nutrimenti minimo negotio comminuitur, dormientium vigilantiumque perspirationem facilè juvat & alvum lubricat. Quæ alimenta solidioris sunt nutrimenti, hæc difficilè liquantur, corrumpuntur facilè, contrahunt alvum, inordinatum sanguini motum imprimunt; hinc minor pespiratio. Nutritio perpetua est defluentis adjectio substantiæ, quæ sensim sine sensu, non confertim & repentè fieri debet: omnium igitur communis victûs species esto, quæ & boni sit succi, & concoctu facilis, quæque nusquam cutis meatibus exiguis inhæreat. Edulia aptissima perspirationi, hominem post nocturnas vigilias, absque gravitate conservant, nedum ea corrumpantur. Secùs est de alimentis, quæ cutis repagula difficilè petunt. Illa obstructiones, corruptelas, lassitudines, mœstitias & pondus efficere solent. Omne tulit punctum qui suam vivendi rationem ad hanc exigit normam. Hac arte durabilis stabit functionum integritas: undè mens sana vegetumque corpus ad extremam usque ætatem vigebunt. Ea ergo alimenta, quæ transpirationis detrimenta facillimè resarciunt, optima debent censeri.

II.

TRANSPIRATIO est insensilis atque oculis impervia secretio, quæ tamen Medici scientiam non effugit. Is, quantum halitûs & fumi quoto quoque die diffletur, liquidò perpendere debet; magna enim morborum seges præpeditæ occurrit transpirationi. Quodcunque vivit & crescit, perspirationi obnoxium internoscitur. Non animantia solùm, sed & vegetabilia; immo etiam ova, lapides, marmora. Ubi naturæ lege animalis functiones ad-

ministrantur, vix ulla est succi nutritii particula, quæ tota non evanescat hac secretione & absumatur. Quid mirum? Quoniam reipsa nutritionis scopus est transpiratio. Illa neque sanguinis repurgatio, neque sordium explosio; neque partium essentialium, ex alimentis fermentatione elicitarum, segregatio: sed partes alimentorum integrantes, alternis arteriarum verberibus, constanter atritæ; sed ipsamet sanguinis lympha, succus ipse nutritius. Transpiratio in singulis animalium particulis, ex ipso unde aluntur succo, nascitur. Quod priùs transmittendi alimenti fuit vehiculum, illud post nutritionem humidum tenueque superest, & in speciem halitûs resolvitur. A solo sanguinis circuitu actus, vel in viscerum cavos confluit, vel foras eliminandus, ad cutis meatus propellitur. Ille suo rore partes perfundit, & flexibilitatem ubique infert. Fluminis more tota cruoris moles proprio labitur alveo. Præcipiti fluxu à corde ad habitum fertur. Singulæ ejus particulæ nullo ordine certo, temerè, huc & illuc volutatæ, circuitum sequuntur massæ. Sanguis amplioribus in vasis sui ubique est similis. Exiles ad capillarium tubulos cùm appulit, simplici mechanices lege, suam eorum in osculis deponit lympham. Rutilantes globuli paulò crassiores, quàm ut ea subire queant. Per patentiores venas feruntur. Omnis lymphæ copia non repentè absumitur. Illa totum vivifico madore proluit & nutrit corpus. Hoc defuncta munere, in sanguinem per vasa propria refunditur, subigitur iterum & novam transpirationi materiem suppeditat. Quid quod? universum cutis rete, pyramidalibus fibrillarum nervearum papillis contextum, uberrimam succi nervosi copiam profundit & excernit. Itaque tota transpirationis materies lymphâ & succo nervoso constat. Quò subtilius utrumque est, eò salubrius; eò pejus, quò parcius. Quidquid vaporis ex eo fonte scaturit, ne exiguum ideo putes, quod sensuum acumen fallat. Vix nisi experto credibile est, quàm uberes in halitus sese resolvat sanguis. Dubitas? audi mille comprobatas experimentis Sanctorii rationes. » Occulta & insensibilis transpiratio nos magis sublevat, quàm » omnes sensibiles simul unitæ ejectiones. . . . . spatio unius noctis sexdecim unciæ lotii plus » minusve, quatuor coctorum excrementorum per alvum, quadraginta & ultrà, per occul- » tam perspirationem evacuari, ut plurimum, solent. . . . pluribus unica die naturali per in- » sensibilem perspirationem tantum evacuatur quantum per alvum quindecim dierum cursu, &c. quàm brevi igitur exarescerer corpus, nisi cæca transpirationis damna idoneo resarcias alimento non omnis cibus æquè in tenues succos tritu facilis, non ductilis æquè. Illorum ergo habeatur delectus, quorum partes neque sint crassiores, neque tenacius cohæreant. In chylum, sanguinem, ortosque à sanguine succum nervosum & lympham facilè elaborentur alimenta, ut ad latentes cutis exitus ea appellere queant.

III.

UBI est difficultas coctionis, ibi tarditas transpirationis. Igitur alimenta transpirationi aptissima ea sunto, quæ facillimè in ventriculo subiguntur. Alimenta, quò transpirationi sunt aptiora, eò transpirationis detrimenta faciliùs reparant. Ergo ea potissimùm expetenda; quoniam in id unum natura incumbit, ut perpetuò defluentis materiæ spatiola adimpleantur. Tandiu sani vitam degimus, quandiu fluxilis est sanguis, & flexibiles fibræ. Ubi inspissatur ille, vel hæ rigent; aut morbo tentamur, aut consenescimus. Undenam istud? Quia inspissatus sanguis canaliculos & meatus immensæ tenuitatis non permeat. Quia, crispatis fibris, succo nutritio præcluditur via. Utrumque arcetur vitium humido, friabili & transpirabili alimento. Ex ciborum penu, quidam humidi, quidam sicci aut duri sunt, seu alii viscosi, alii friabiles, ac divisu faciles. Humida & tritu facilia alimenta, tenue & humidum præbent nutrimentum. Hoc celeriter, & totum pervadit corpus, & per cutim excernitur: ciborum enim, qui celeriter nutriunt, celeres etiam fiunt egestiones. Fruges, fructus, olera, legumina, quibus vescimur hisce pollent dotibus, cæterisque cibariorum generibus longè præstant. Ea sola ante diluvium in escam fuere hominibus: quamobrem & diu & sani vegetique pervivebant. Eorum filii, avis pejores, mactatos greges suis ausi sunt mensis apponere. Horum progenies vitiosior nil intactum reliquit. Omne quadrupedum, volatilium, piscium, reptilium genus didicit gulæ suæ damnare. Hinc dira morborum terris incubuit cohors, semotique prius tarda necessitas lethi corripuit gradum. Damnosa quid non imminuit dies! Primi mundi incolæ plura vixere sæcula; vix aliquis unum vixit. Ex quo carnibus variisque eduliis ventres ingurgitare cœperunt homines. Fœlices illi, si in tantâ carnium farragine, certas eligerent, quæ perspirationem juvarent; ad quam pisces, post legumina, cæteris animalibus sunt præstantiores. Piscium siquidem caro levis est & coctu facilis. Laudabilem ea succum præbet, commodè nutrit, & facilè, per cutis poros, in vapores facessit. Vires apprimè reficit succumque mediocrem, temperatum, dulcem sanguini suppeditat. Sed ex piscium familia non omnes indiscriminatim, & sine delectu usurpandi. Nequam omnis nisi,

recens. Eò salubrior, suaviorque, quò recentior in cibum apponitur. Cave à pisce crudo, solibus arido, fumo tabido, sale durato, muria condito. Sacer hic esto, qui durus & viscidus respondat palato. Lacustribus & paludosis præstant fluviatiles; fluviatilibus marini. Principes ex his saxatiles, qui omnium levissimi ne ægris quidem debent interdici. Animalium caro, licèt inferior leguminibus & piscibus, non omninò tamen improbanda. Namque ventriculus carnibus assuetus, eas optimè coquit & comminuit; unde nulla perspirationis interruptio. Quin immò transpirationem perbellè juvant pulli, phasiani, vervecina caro, & ejus generis alia quædam. Juniora animalia, vetustioribus plerumque anteponenda; vulgaria exquisitis præferenda. Sapiat caro bubula, agnina, ovilla, vitulina, etsi exotico jure non sit perfusa. Non omnis generis altilia innoxia; sed ex iis duntaxat quædam. Ergo ea quærantur, quæ ventriculo molestiam non afferant, quæ corpus gravare nequeant, quæ alternis arteriarum verberibus subjecta, in tenues & fluxiles admodum succos elaborari possint, & uberes in halitus resolvi.

IV.

CORPORIS humani fabricam, intimosque ejus recessus cognoscenti, facilis est alimentorum delectus. Eâdem ratione, vi eâdem, natura simplex & provida sibi nutrimenta coquit, ac fomenta parat. Intuere igitur propiùs naturæ labores. Disce rationem, magistræ jam tùm assuescere voci. Disce quid tibi prosit admissum, quid noceat accipe. Partium corporis humani una omnium conspiratio, unus consensus. Ne tibi aliud dentes, ventriculus aliud, aliud pulmones, cor atque arteriæ allaborare videantur. Quod collisu inchoant dentes, illud idem continuo motu, eoque æquabili, ventriculus promovet. Pulmones idem, cor atque arteriæ ictibus absolvunt alternis. Scilicet commune omnium opus, tritus. Hoc unum natura molitur. Solo tritu cibi in chylum, in sanguinem alibilesque succos comminuuntur, atque elaborantur. Solo tritu ipsa viget functionum integritas. I nunc & insalubri ciborum pondere naturæ conatus obrue. Subjice placidis solidorum verberibus alimenta crassa, dura tenaciùs cohærentia. Hinc oritur coctionum omnium perturbatio aut depravatio: Crudi malique succi cumulantur. Nutritio aut nulla, aut prava. Hærent in viâ lentescentes succi. Innumerabiles gignuntur obstructionum fœtus & ægritudines. Secretionum eadem, quæ functionum aliarum conditio. Nulla stat incolumis. Hîc uberior solito, illîc parcior, alibi, alio modo depravatur. Quorsum hæc? ut intelligas in ciborum delectu sitam esse longævitatis spem vel maximam. Penès nos non est solidorum vires augere, aut immutare; quod unum licet, explorandum quales, & quantæ sint, ipsisque tantùm imponendum operæ, quantùm ferre valent, non quò possint obrui. Alimentum igitur illud erit optimum, quod molle, tenerum, leve, ac friabile; quod dulcis unctuosique succi; quod simplex & quale natura profert; aut mollitum igne, non induratum; coctum, non coactum; denique non adustum, sed tostum. Hinc sæpe cruda præstant coctis, succosque præbent salubriores. Neque te incautum vulgi fallat opinio, qui lac, offas, condimenta placentarumque varium genus, eò faciliùs concoqui elaborarique putant in corpore, quò diutiùs vim ignis passa fuere. Ignea enim effluvia in his partium sensibilium compagem laxant, moleculas verò minimas cogunt, easque corneæ efficiunt tenacitatis. Hinc in ventriculo illa quidem, nullo negotio, comminui videntur; sed cordis atque arteriarum vim eludunt, & sanguinem generant pro ductili, siccum; pro subtili, crassum; pro temperato, adustum. Cape itaque consilium ex re. Natura tritu alimenta coquit: cocta, tritu quoquoversùm diffundit: diffusa, applicat in partes, & quidquid est superflui, per exilissimos cutis meatus foras ejicere satagit. Obsequere illi. Sapientem adhibe delectum. Præbe mollia, ductilia, amica; contraria remove.

V.

CIBI potûsque vitia gignendis morbis pabulum materiamque suggerunt. Morbi interdum spontè emanant, nullo evidentis causæ impulsu. Sed nulli, vel ab aere, vel ab animi perturbationibus excitantur, nisi consentiat corporis præparatio, & humorum constitutio. Atque hæc tota ex alimentis profecta est: quam ergò, quantamque in gignendis morbis illa vim obtinent. Cibi atque potûs, quo permanentem magis, atque inhærescentem corpori materiam suppeditant; eò validiùs illud contumaciùsque afficiunt. Ne ideò putes alimentum subtile, & particulis quasi igneis conflatum, esse præstantius. Nam, ut calx ad arboris radicem conspersa, fructum accelerat; arborem verò perimit: ita & alimentum calidius suscitat calorem, motricibus fibris robur addit, erigitque facultates; senectutem verò maturat, mortemque festinat. Vitam alacriorem, vegetioremque, sed tamen breviorem facit. Sic suæ sunt unicuique cibo dotes, sua sunt incommoda. Neque tamen te delectûs ratio terreat.

515

In iis enim eligendis te sobrium quàm subtilem malim. Quid sanum sit faciliùs dignoscitur, quàm expetitur. Simplicissimum alimentum semper judica optimum. Sed quò præstantiùs illud est, eò periculum aderit majus, si alieno tempore usurpetur. Qui nutritur manè, maximè læditur; quia tunc temporis uberrima fit transpiratio, & à cibo illa divertitur. Cibum diversis constantem viribus fuge: si enim multiplex obest, quid prodest unus qui in se turbam exhibet? Gratus odor alimenti summum est bonitatis argumentum. Medici scientiâ non opus est ad eum cibum explorandum, quem sensus improbat. Ille seipsum prodit, & noxius semper erit, si displicuerit. Sed hoc naturæ beneficium, ventris adulator coquus occultat, atque ingenitam ciborum pravitatem artis mendacio obvelat & fallit incautos. Idcirco omnibus ferè condimentis malè creditur. Cùm id voluptuarii veneni sævit in præcordiis, hoc ne dura quidem messorum ilia ferendo sunt. Alimentis temperamento nostro, tum & ætati & viribus, & laboribus & tempestati accommodatis uti, naturæ lex est. Omnia alimenta in omnibus simili ratione neque subiguntur, neque transpirant. Liberiorem victum illæsus non ferret primæ ætatis puer. Puerorum pulmenta adultus nauseante stomacho respueret. Utrisque aptissimum transpirationi alimentum exhibe, huic solidius, illi mollius & tenuius. Studiosis prodest & debilibus & otiosis cibus tenuis, humidus, mollis, levis, qui citò solvitur & facilè distribuitur. Rusticis & juvenibus robustis, qui procul à segnitie variis exercentur laboribus, quibus valida sunt viscera, celeris digestio, motus muscularis ingens; dura, crassa, sicca, ponderosa conveniunt. Transpirationem talis cibus in illis salubriter juvabit, nedum cohibeat. Mollia & tenuia iis aut obessent, aut perpetuam ferè imperarent mensam. Senibus sit victus parcus, mollis, humidus, & fibras jam rigescentes laxare capax. Alioquin tenues emorientis flammulæ scintillas citò restinxeris. Senectus revera est ægritudo quæ diu pro trahi non solet nisi perspirabile corpus effeceris. Est & in eâdem ætate discrimen. Parum interest quot sint anni; sed quæ sint vires. Quid juvat ætas adolescentem senum infirmitatibus obrutum? Ille pro sene habendus, quoniam, vitio corporis, senibus planè consimilis est. Quod corporis robur, æstivo calore, facilè elanguescebat, hyeme intus revertitur cibumque postulat pleniorem, solidiorem, sicciorem. Frigus externum, externam cohibet transpirationem: sed augetur interior, unde fibris ventriculi vis additur & elater, calor duplicatur, tota roboratur natura. Vis te beatum facere, vitamque morbis immunem traducere? Hæ tibi duæ, tùm de ciborum quantitate, tùm de eorum delectu, certæ sint leges. Illa cibi quantitas est saluberrima dum à cibo corpus suis negotiis eâdem agilitate vacat, ac si esset jejunus. Et altera quidem hæc est. Ab eo cibo corpus affatim perspirat, cujus fœces semel uno quoque die exeunt consistentes. Si secùs utrinque acciderit, aut copiosiori alimento, aut naturæ tuæ incongruo usus es. Verbo dicam, cum Hyppocrate, ut sanum sit corpus, illud efficias fluxile & perspirabile.

Ergo optima quæ perspirationi aptissima sunt alimenta.

Proponebat Parisiis FRANCISCUS HALLAYS, Abrincinus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1715.

Typis JACOBI QUILLAU, Universitatis, & Facultatis Medicinæ Typographi.